







Fig: I







5



6

IV. *A Further and more Exact Account of the same, sent in a Letter from Father Camelli, to Mr. John Ray, and Mr. James Petiver, Fellows of the Royal Society.*

*De Igasur, seu Nuce Vomica legitima Serapionis.*

Catolongay quam alii Cantarà vocant : est Nuces Vomicae legitimas Serapionis ferens planta, quæ arbores quasvis altissimas sese involvendo scandit : Truncus lignosus, levis, porosus, & brachialis quandoque crassitudinis, corticisque scabri, crassi, et cinerei : Folia ampla, nervosa, amara, Folio fermè similia : Florem Balaustiarum similem fructus in sequitur Melone major, qui delicatissima cuticula quæ splendens, lævis, et viroris luridi, ceu Alabastrini coopertus, subter quam alius cortex delitescit substantiæ quasi lapidescentis. In hoc, carne amaricante, flavâ, & molli, qualis est caro fructus Mangæ, interjectâ, nostræ, seu legitimæ Serapionis Nuces Vomicae, quæ recentes ab argentea lanugine splendent, juglandinis vix non pares, inæquales, variæque formæ, non rarò quatuor, & viginti coarctantur ; quas Indus Igasur, & Mananaog, id est, Victoriosas, Hispanus Nucleos, s. pepitas de Bysayas, aut Catbalogan, alii Fabas Sancti Ignatii vocant. Hæ resiccatae avellarâ nuce cum putamine pares, aut etiam paulò majores, nodosæ, durissimæ, diaphanæ, & quasi corneæ substantiæ sunt, saporis femine citri multò intensius amari, coloris autem inter albam, & glaucum, prout & Serapio tradidit.

Multi nescio quo oraculo edocti, Nucem Igasur reticulæ fructus Salagsalag immittunt, ex collo suspensum gerunt, & ita ab omni veneno, peste, contagio, incantationibus magicis, Philtris, & specialiter à sopto, seu veneno, quod solummodo insufflatum perimere narrant, imò & ab ipso dæmone se liberos, ac immunes esse imaginantur.

Quod Ch. Miralles in suis collectaneis affirmat scribens non tantum virtutem habere depellendi corporis morbos, sed & malignis spiritibus speciali quadam oppositione resistendi; Magos etenim Barangas dictos ad præsentiam hujus nucis inquietari, conturbari, & sudore suffundi ac si in nescio quo arduo negotio, angustiis, periculisque pleno versarentur. Quòd experièntiâ didicisse, insuper, & id ipsum sibi alios fide dignos visos affirmasse addit. Unde pactum cum dæmone habere dictos Barangas, seu maleficos herbarios suspicatur, præsertim cum rumor ferat hosce impios medicos, si in simplicium cognitione erudiri velint, consanguineorum proximum interimere obligari.

Alii à jam dicto sopto, seu toxicî insufflamine quo malevoli Indi passim quos male cupiunt perimunt, Alexium Lopez in Guiguan, & Petrum Oriol, præter alios hacce nuce præmunitos, servatos fuisse ferunt. Sumunt autem, uti Vulgus narrat suprædicti Herbarii eis familiaria et nota Aconita, quæ faucium latere uno recondunt, buccâ alterâ verò contrayerbas, prouti hujates loquuntur, id est, antidota, nè videlicet sibimet ipsis mortem masticent: his ita ore detentis arte, & dexteritate diabolicâ sibi contrarios, & infensos viperarum more intoxicato halitu impetunt, quo perculsi, ac perplexi mox humi prosternuntur, & animam agerent, nisi eis jam experto remedio hacce scilicet nuce opem ferant. Addunt si quis hanc nucem secum portarit, ipsum qui similibus deleteriis buccellis alterum interficere attentaverat

penas confestim luere Talionis, uti Indus qui, Alexium Lopez inter fictas amicitias, de medio tollere cupiens, casualiter hanc nucem secum habentem expertus fuit: quâ occasione primùm Hispanis innotuit Igasur virtus, & efficacia. Quomodo autem naturaliter ut non nulli volunt, Igasur virtutem toxici, in distans agendo repellat, judicent alii.

Pulveris Igasur ℞j. quondam Vincentio Olzinæ temperamenti melancholici prædito ad vomitum ciendum propinavi: Hic dyspepsia, diarrhæa, & frequenti vomitu, cum ructibus acidis, nec non flatuum copia molestabatur; sed statim ac sumpsisset tremore totius corporis trium horarum spatio persistente, unâ cum pruritu, & vellicationibus convulsivis horrendis ut pedibus insistere nequiverit, quæ in maxillis vehementiores erant, ac magis molestæ, itâ ut quodammodo ridere cogeretur: correctus fuit. Nulla interim notabili pulsus alteratione, Vomitu, aut alio quopiam insequente symptomate. De reliquo dein non nihilum melius sensit.

Similem tremorem, & convulsiones spasmodicas quas V. Olzina expertus fuit, sensit, & passus est Johannes Osaëta, unâ cum summa præcordiorum angustia, vertigine, animi deliquio, & sudoribus frigidissimis. Hic Melancholico-Hypochondriacus sanitatis cupidus nucem recentem integram devoraverat. Cui oximel, & oleum cum tepida exhibendo, quo plurimum viscosi phlegmatis cum nucis particulis rejecit, opem tuli.

Joachimus Affia Nucis sumpserat partem tertiam & simili modo ut V. Olzina, & Johannes Osaëta ultra tres horas affectus fuit. Hic præter motus contractivos, & involuntarios, formicationis sensum, & specialiter in capite expertus fuit. Similes denique pœnas, A. Varaona, A. Girau, & alii luere.

Vulgus autem Nucem Igafur, ad cunctâ absolutè corporis humani mala amovenda, nullâ habitâ temporis, morbi, ætatis, aut dosis ratione indifferenter exhibet, & adhibet, miraculososque inde subsequutos effectus narrat, narrat videlicet magnificiendo suam Panacæam, & de prædicat successûs bonos, reticens insaufos: Nec dubium quin aliquando, à tam vehementi spirituum animalium irritatione, ac alteratione humorum ab hac nucle causatâ, hæterogenea, ac incongrua una cum tam infesti medicamenti particulis eliminantur, quibus rejectis, humoribusque crasi meliori restitutis, sanitas optata subsequatur.

Qua ratione virtute polleat, & repellendi, & alliciendi uti vulgus opinatur, nunc scilicet sanguinem de vulneribus profluentem sistendo, nunc Lapidis colubrini instar, venenum è viperarum, aut etiam aliorum venenum vibrantium animalium morsibus, uti è vulneribus telis intoxicatis inflictis proliciendo: ignoro.

Nucis Igafur denique vires, & virtutes, non propriâ experientiâ, sed relatione acquisitas, nec non de variis Indorum, aliorumve curiosorum, & observationibus, & adnotationibus excerptas, ac collectas, amicè quondam à Dominico Conzales rogatus in formam digesti sequentem.

Modus ordinarius, & communis utendi Nuce Igafur est, imponendo eam integram tantillo aquæ calidæ, spatio donec amara reddatur, exhibendo dein dictam infusionem. Alii pulveris modicum in substantia propinant. Alii unam, alteramve offerunt deglutiendam frustulam. Alii nucem integram Amuleti ritu de collo suspensam gerunt.

Vomitum pluries causare solet, dejectiones nonnunquam, motus spasmodico-convulsivos ferè semper in Hispanis, Indis non. In Veneni periculo, & spirituum inordinatè tumulantium conflictu, posthabitâ temporis



ratione ufurpanda erit : In aliis accidentibus, aut morbis jejuno ventriculo in aurora, attamen vomitûs ciendi gratiâ convenientius unâ alterâve post affumptum cibum hora dofi ̄ſs. cum aliis levioribus vomitum cientibus exhibebitur.

Qui nucem integram fecum portarint, affirmant mulri (fides fit penes authores) præſervare à Peſte, incantationibus magicis, philtris, ſopto, ſeu herbarum venenatarum afflatu, aëris præterea neſcio quo ut volunt contagio, Hiſpanis Malaire, & paſmo, id eſt, ſtupore, Indis Soutan (à quo ſimiliter præſervare ſerunt corallium nigrum, Ungulam Rhinocerotis, Dumbagam, Ingo, & Teſtudinis ſcutum :) Catalepleos attamen ſpecies potius eſſe videtur, eo etenim correpti terrore veluti panico percuſſi corruunt, ſenſibus & voce privati obſtupescunt, mortuiſve ſæpius ſimiles obrigeſcunt : Revulſoria verò, & crudeli muſculorum in tibiis, ac brachiis flagellatione, quâ ſanguis inibi aggeſtus dein ſcarificationibus elicitur, revocantur, & curantur.

Nucis fruſtulum, aut fragmentum (aut raſuræ modicum) Viperæ, Baſul, eſt Eruçæ pilofæ, atque nociferæ, ad tactum vehementem pruriginem cauſantis ſpecies, aut aliorum venenatorum animalium morſui, vulneri ſagitiâ, vel alio intoxicato telo factò adimpoſitum, venenum lapidis Culebrini inſtar adhærendo extrahere communicavit F. de la Zarza. Alii in hæmorragia narium, & ad ſanguinem è vulneribus profluentem ſiſtendum, pulverem recommendant.

In Malviento, Malaire, Soutan, & paſmo, Catalepleos ſpecies eſt, ſtupore, Apoplexia, Paralyſi, ſive ſyde-ratione, lethargo, Epilepſia, Morbo caduco, aſtmate, & catharro maligno, ac ſuffocante, dentium dolore, & aliis deſfluxionibus fruſtillum ſupponitur linguæ apophlegmatizandi gratiâ, ità enim caput à copia viſcoſi phlegmatis liberatum, ægri pluries levamen percipiunt, &  
ſæpius

sæpius jamjam agonizantes, ut ità dicam resuscitentur, & aut confiteri, aut alia quæ pro tunc conveniunt declarare valent.

Pulverem, aut infusum, aut oleum infra dèscriptum propinant, & dilaudant in febris tertiana & quartana. Veneni periculo, aut supra: Sopto, Buyasso, est Buyo, seu Betele confectio mortifera (cum semine ut opinor stramonii, aut simili narcotico) quæ si assumpta non perimit, hominem perplexum, attonitum, hebetem, stupidum, & torpidissimum reddit: Ab hujuscemodi confectioe devorata, aut masticata, infra posito oleo curata fuisse scio, & Botete sardinæ nocivæ comestæ suspicione.

Ad urinas item, menses, & Puerperia suppressa provocanda, partum difficilem facilitandum, secundinam, sætum mortuum & Lumbricos expellendos efficacem reperi.

In dolore colico præterea, cibi indigestione, cruditate ventriculi, & concoctione læsa, diarrhæa, Tenesmo, & obstructione Epatis, ac lienis, uti & in omnibus supra enumeratis morbis exhibent.

Oleum verò ex Igasur simpliciter infusione paratum, emeticum est efficacissimum, valet ad eadem ad quæ nux ipsa, hoc ad magi Barang præsentiam effervesce, & vase quo asservatur exilire vir retulit fide dignissimus. Idem & alii in suis scriptis affirmant.

Hoc Oleum alii efficacius reddere cupientes componunt: Ex Igasur, Tambal de Garigara, Tambal de Sangil, Tambal de Bornei, Salagsalag, Camaesa, Manungal, Alagao, Salibutbut, Tambalisay Marbar Molavin, Borogtongon, Palyaccan Panambuc, Pancoro, Nola lason, Bagatapon, Oringun, & aliis, vulgò jazeite de Tambal, à cortice sc. emetico Mananangtang appellatur, Violenter purgat per superiora, & inferiora, dosis ʒj. ʒij.

Lignum:

Lignum Sanctum Luzonis Quaiaco utiliter substituitur, de reliquo concoctionem adjuvat, & dejectam ciborum excitat appetentiam. *N. B.* Prægnantibus exhiberi non potest, quin abortum patiantur.

Lignum Colubrinum Manungal, decoctum ejus venenis omnibus, venenatorumque animalium moribus succurrit, febrifugum est, & anti-astmaticum, obstructions inveteratas referans, & abjectam ciborum restaurans appetentiam: Ictero præterea, octo dierum spatium in aurora haustum medetur, lumbricos pellit, & colicos dolores mitigat. Decoctum ex ℥ij. paratum, dejectiones ferme quinque causare solet.

Cortex Vomitorius Mananangtang, datur in pulvere à ℥j. ad ℥iv. pituitosa & lenta, nec non biliosa per vomitum, & secessum potenter evacuat, unde in febribus, ventriculi repletionem, aut ex humoris viscosi turgescencia, cachexia, & hydropem feliciter exhibetur. In omni veneni periculo c. decocto Manungal, & ad ventris lumbricos educendos plurimum facit, &c.

*The Figures of the Leaves, Flowers, &c. of this Plant are in the Table. Vide fig. 4, 5, & 6.*

